

Programm

des

Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums

zu Königsberg in der Neumark,

mit welchem zur

öffentlichen

Prüfung der Schüler

am 17. März

im Namen des Lehrer-Collegiums ergebenst einladet

der Director

Dr. C. W. NAUCK.

Inhalt:

1) **De mysteriorum Graecorum causis et rationibus, vom Professor Dr. Haupt.**
2) **Schulnachrichten, vom Director.**

Königsberg i. d. N. 1853.

Druck von J. G. *Striese.*



De mysteriorum Graecorum causis et rationibus.

I. Veterum testimonia.

Ὄλβιος, ὃς τάδ' ὄπωπεν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων·
Ὃς δ' ἀτελὴς ἱερῶν, ὅς τ' ἄμμορος, οὔποθ' ὁμοίην
αἶσαν ἔχει, φθίμενός περ, ὑπὸ ζόφῳ εὐρώεντι.

Hymn. in Demetr. 482—84.

Ὄλβιος, ὅστις ἰδὼν ἐκεῖνα κοίλαν εἶσιν ὑπὸ χθόνα.
οἶδεν μὲν βιότου τελευτάν,
οἶδεν δὲ διόςδοτον ἀρχάν.

Pindar. Fragm. CXVI. 128.

Ὡς τριςόλβιοι
κεῖνοι βροτῶν, οἳ ταῦτα δερχθέντες τέλη
μόλους' ἐς Ἅιδου· τοῖςδε γὰρ μόνοις ἐκεῖ
ζῆν ἔστι, τοῖς δ' ἄλλοισι πάντ' ἐκεῖ κακά.

Sophocl. ap. Plutarch. De leg. poet. N. 58. 5. Br.

Pleni sunt scriptorum Graecorum et Latinorum libri testimoniis, quibus confirmatur veteres credidisse mysteriis et beatae vitae principia et immortalitatis spem rationemque tradi et confirmari. Duo tantummodo addam testimonia: *οἱ μετέχοντες (τῆς τελετῆς) περί τε τῆς τοῦ βίου τελευτῆς καὶ τοῦ σύμπαντος αἰῶνος ἡδίους τὰς ἐλπίδας ἔχουσιν.* Isocr. Paneg. VI. p. 59. *Athenae tuae cum multa eximia videntur peperisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus, initiaque, ut appellantur, ita revera principia vitae cognovimus, neque solum cum laetitia vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi.* Cic. de legg. II. 14. Cf. D. N. D. 1. 42. Or. Flacc. c. 26. *)

*) Crinagoras Ep. XXX. admonet amicum
— Κεκροπίης ἐπιβήμεναι, ὄφρ' ἂν ἐκείνας
Δήμητρος μεγάλων νύκτας ἴδῃς ἱερῶν.

Quodsi quis interrogat, num ex veterum opinione ad hanc felicitatem accipiendam suffecerit mysteriis initiatum esse, respondendum est sufficere id quidem visum esse, verum non omnibus promiscue aditum ad mysteria patuisse, improbis et impuris interdictum fuisse ut et barbaris. Οὗτοι (οἱ μυσταγωγοί) τά τ' ἄλλα καθαροῖς εἶναι τοῖς μύσταις ἐν κοινῷ προςαγορεύουσιν, οἷον τὰς χεῖρας, τὴν ψυχὴν, τὴν φωνὴν Ἕλληνας εἶναι. Liban. Or. Corinth. p. 356. T. IV. Οἱ μὲν ἐς τὰς ἄλλας τελετὰς καλοῦντες προκηρύττουσι τάδε· ὅστις χεῖρας καθαρὸς καὶ φωνὴν συνετός —, ὅστις ἁγνὸς ἀπὸ παντὸς μίσους καὶ ὅτῳ ἡ ψυχὴ οὐδὲν σύνοιδε κακόν· καὶ ὅτῳ εὖ καὶ δικαίως βεβίωται cet. Cels. ap. Origen. lib. 3. p. 147. ed. Spenc. ap. Lob. l. l. § 3. *)

Et vitae quidem felicitate non ea solum impertiebantur initiati, ut juste pieque vivere discerent poena scelerum praemiisque benefactorum post mortem commonefacti, verum etiam ut cognoscerent quae esset via ad vitam vere divinam, i. e.

Τῶν ἀπὸ κῆν ζωοῖσιν ἀκηδέα, κ' εὖτ' ἂν ἵκηαι
ἐς πλεόνων, ἕξεις θυμὸν ἐλαφρότερον.

Aeschines in Axioch. p. 371. D. initiatis vitam beatam in Orco promittit, et Schol. Aristid. p. 101. Ἔλεγον οἱ Ἕλληνες ὡς οἱ τὰ μυστήρια μυηθέντες εὐμενοῦς καὶ ἵλεω τῆς Περσεφόνης ἐτύγχανον cet. ap. Lobeck. Aglaoph. I. § 11.

Adde his quae apud Plat. Phaed. 38 et de Rep. p. 385. narrantur eaque compara cum loco Aristoph. Ran. 143 sqq. Voss. Hymn. in Dem. p. 140—44.

Pertinent haec testimonia imprimis ad Eleusiniorum laudem. Fuere autem praeter Eleusinia apud Graecos Cabiriaca et Orphica maxime celebrata mysteria. Cabiriaca appello, quae etiam Samothracia vocantur: quo jam nomine indicatur, quae inter ea et inter Orphica intercedat ratio; sunt enim ejusdem originis, i. e. Thracicae; et cum Samothrac[illegible] angustis iisque maxime maritimis locis regionibusque continerentur ad earumque regionum rationes accommodarentur, Orphica per omnem fere terrarum orbem per Graecos divulgata omniumque populorum ingeniis accommodata sunt praecipue posteriore Graecae vitae aetate: quo factum est, ut, cum omnes beatae vitae immortalitatisque desideriis flagrarent, ea disciplina maxime confirmaretur. Maxime igitur cavendum est, ne, quae de ea Orphicorum disciplina tradantur, cum genuina Graecorum mysteriorum doctrina, qualiscumque fuit, confundamus.

Irridet autem Lobeckius etiam illam, quam testimoniis sane splendidis corroboravi, doctrinae mysticae laudem. Ad sermonem, inquit, si quis me enixe roget, concedam, Hierophantem, quum Dearum Eleusiniarum vim et potestatem praedicaret, dixisse aliquid de praemiis religiosissimo cuique earum cultori propositis et de contemtorum suppliciis; sed vicissim petam, ut ne plus se accepisse putet quam dare voluerim. l. l. p. 72.

*) Lobeckius: Altera pars interdicti proprie de homicidis valebat, postea autem latius accepta est *ut nemo ingrederetur nisi qui se innocentem nosset:* Lamprid. Sever. c. XVIII. *qua praeconis voce impii et scelerati initiatione submovebantur.* Sueton. Ner. c. XXIV. Verum ne hoc quidem Eleusiniorum proprium dici potuit, quum omnis praefatio sacrorum eos, quibus non sint purae manus, sacris arceat: Liv. XIV. 5. idque adeo templorum vestibulis inscriptum fuerit μὴ παριέναι εἴσω τῶν περιῤῥαντηρίων, ὅστις μὴ καθαρός ἐστι τὰς χεῖρας: Lucian. de Sacrif. § 13. Transiit haec πρόῤῥησις, quae vocabatur, postea ad alias religiones; sed mysteriis eam antiquitus peculiarem fuisse et ipse locus Suetonii: *peregrinatione quidem Graeciae Eleusiniis sacris, quorum initiatione impii —, interesse non ausus est,* demonstrat et imitatio Alexandri (Lucian. Alex. 38) atheis, Christianis et Epicureis aditum ad mysteria sua interdicentis eosque adeo ceremonia quadam expellentis, denique omnis antiquitas impios et profanos a mysteriis arceri jubens, maxime a Samothraciis et Orphicis post Eleusinia. Vide Lob. l. l. p. 15 sqq.

ad summam deorum sanctissimorum gratiam sibi comparandam et conservandam: quod et enthusiasmo illo fiebat, quo omnes initiati inter sacra implebantur, i. e. spiritu quasi quodam divino, quo ad summa quaeque rapiebantur. Nam quamquam eo orgiastico vitae genere in Bacchi et Veneris religionibus mysticis ea opprobria, quae Clemens Alex., Tertullianus, alii exprobrant, saepe commissa sunt: tamen et ea Graecis ceremoniis mysticis aliena Asiaticisque et barbaricis imputanda sunt et in iis ipsa significant homines totos se diis, qualescumque sibi finxerant, tradidisse. Atque qui se diis ut mancipia addixerant, eos et se Deorum et Deos esse suos ac sui quasi juris et potestatis sentire fas erat: quae est summa religionum omnium; apud Graecos autem sola mysteriorum disciplina ad summum hoc religiosae vitae fastigium pii pervenire poterant. Nam profanis ceremoniis profanorumque deorum cultu ad vitam recte et juste instituendam excitabantur quidem homines, sed nec ii omnes nec apto modo: quamobrem, quibus sic non satis factum est, ii aut mysteriis animum tradebant aut philosophae doctrinae animum advertebant. Illa autem potissimum causa ad alia praeter vulgaria religiosorum sensuum desiderii deorumque praesidia petenda commovebantur, quod in tanta deorum multitudine nec facile invenirent, cujus se potissimum dei in fidem potestatemque dederent, nec haberent, quo quasi consignatore sacerdotali id facerent. Nam profani sacerdotes omnes erant civiles et illa auctoritate ac potestate carebant. In mysticis autem religionibus et numina ad summam paucitatem redacta in uniusque fere deorum numinis speciem congregata, et sacerdotum munus potissimum ad consignandos homines, postquam sacris eos satis instituerant, pertinebat. Et de civilibus sacerdotibus quidem quae diximus eorumque de munere, ea his confirmemus testimoniis: Plat. Polit. p. 290. D. *τὸ τῶν ἱερέων γένος παρὰ μὲν ἡμῶν δωρεὰς θεοῖς διὰ θυσιῶν ἐπιστήμόν ἐστι κατὰ νοῦν ἐκείνοις δωρεῖσθαι, παρὰ δὲ ἐκείνων εὐχαῖς κτῆσιν ἀγαθῶν κτήσασθαι.* — *Stobaeus* Ecl. VII. 12: *Τὸν ἱερέα δεῖ ἔμπειρον εἶναι νόμων τῶν περὶ θυσίας καὶ ἱδρύσεις καὶ τὰ τοιαῦτα.* *Apulej.* Apolog. p. 446: Sacerdotis est, ait, callere leges cerimoniarum, fas religionum, jus sacrorum. *Varro antiq. div.* I. p. 214. Bipont: *Tria sunt theologiae genera, unum mythicon, quo maxime utuntur poetae, alterum physicon, quo philosophi, tertium civile, quo populi, quod maxime sacerdotes nosse atque administrare debent, in quo est, quos Deos colere, quae sacra et sacrificia facere quemquam par sit.* *Lactant.* Instit. IV, c. 3: *Deorum cultus non habet sapientiam, quia nihil ibi discitur, quod proficiat ad mores excolendos vitamque formandam, nec habet inquisitionem aliquam veritatis, sed tantummodo ritum colendi, qui ministerio corporis constat.* Conf. August. De civit. D. 1, 4. Tacit. Hist. IV. 83. Lob. l. l. p. 11. Contra quae de mysticis sacerdotibus dixi, quamquam et ii vulgo civiles fuisse videntur, Athenis certe, ea his confirmo testimoniis. Nam *μύστης* non solum vocatur *ὁ εἰςηγητής*, sed etiam *ἐξηγητής* et *ὁ μυστήρια διδάςκων* ap. lexicographos Gr. Lobeck. l. l. p. 29: *Illa Eleusinia haeresis quod tacet, pudor est. Idcirco et aditum prius cruciant, diutius initiant quam consignant, quum Epoptas ante quinquennium instituunt:* Tertull. in exordio libelli adv. Valentin. Lob. p. 31. 32. Et Theo Smyrn. Mathem. p. 18. postquam *καθαρμὸς* tum *ἡ τῆς τελετῆς παράδοσις*, deinde

ἐποπτεία commemorata, *ἀνάδεσις*, inquit, *καὶ στεμμάτων ἐπίθεσις, ὥστε καὶ ἑτέροις ἅς τις παρέλαβε τελετὰς παραδοῦναι δύνασθαι, δᾳδουχίας τυχόντα ἢ ἱεροφαντίας ἤ τινος ἄλλης ἱερωσύνης* — quod epoptiae finem — *ὃ δὴ καὶ τέλος τῆς ἐποπτείας* — vocat: qui finis in Bacchicis certe mysteriis *θρόνωσις* (*θρονισμοί, ἐνθρονισμοί* —) erat et eo spectabat, ut homines divini numinis divinaeque potestatis per sacerdotes omnino participes fierent. Sunt praeterea imagines antiquae, in quibus haec consignatio sacerdotalis expressa est: Welcker. Aeschyl. Tril. p. 261—63. Quae autem postulabantur ab eo, qui se dignum summo illo beneficio reddere volebat, ea gravissima in hac re summique momenti esse arbitror. Nam quamquam lustrationes, purificationes, jejunia (*καθαρμοί* —) in plerisque deorum cultibus postulabantur, tamen in mysteriis ea longe intentiore cura instituenda erant iis, qui ad reliquas ceremonias aditum sibi concedi cupiebant, maxime iis, qui sceleris peccative conscientia agitabantur, quibusque hoc modo expiatio contingebat. Et jam Herculem tradunt alii majusculis, alii minusculis mysteriis expiatum, nonnulli a Musaeo, pars ab Eumolpo, i. e. a sacerdotibus vatibusve mysticis: nec est heros ullus, nec adeo Deus, qui caede pollutus non fuerit post hanc similemve operam navatam expiatus: Apollod. II. 15. Aeschyl. Eumen. 438. Paus. X. 7. Quae quamquam sunt fabulae, tamen vulgari ratione, quae est apud Homerum, hanc expiationem Fieri non potuisse hominum opinione significant. *Cruciabant mysteria adituros prius et diutius initiabant quam consignabant* — ut peccati sensus ac conscientia vehementissime excitaretur ac stimularetur. Multis aliis deinde ceremoniis actionibusque ii perfungi coacti erant, qui summi mysteriorum beneficii mysticaeque dignitatis participes fieri volebant. Clem. Alex. Protrept. p. 18: *κἄστι τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων· ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης, ἐγγευσάμενος ἀπεθέμην εἰς κάλαθον καὶ ἐκ καλάθου εἰς κίστην*, et p. 13. ubi de mysteriis Cybeles sermo est, *τὰ σύμβολα τῆς μυήσεως ταύτης· ἐκ τυμπάνου ἔφαγον, ἐκ κυμβάλου ἔπιον, ἐκερνοφόρησα, ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυν.* Tertull. l. 1: *Sequitur jam silentii officium; attente custoditur, quod tarde invenitur. Ceterum tota in adytis divinitas, tota suspiria epoptarum, totum signaculum linguae, simulacrum m. v. revelatur* cet.: quod eo consilio fieri dicit, *ut opinionem sacerdotes suspendio cognitionis aedificent, atque ita tantam majestatem adhibere videantur, quantam praestruxerunt cupiditatem.* Vide Lob. l. l. p. 32. 33. Et summi silentii quidem officium, quod imponebatur, non solum inter sacras actiones erat observandum, sed pertinebat ad totam vitam, quum de iis, quae epoptae spectaverant, nemini quidquam evulgare liceret. Id autem, quod ultimo eo initiationis momento spectabant, non solum simulacrum summi numinis mystici, sed *δρᾶμα μυστικόν*, i. e. moribundi dei fuit.

II. De dramate mystico.

Quo de dramate mystico locuturis nobis res altius repetenda est. Inde enim maxime apparebit, quibus innitatur mystica, quibus popularis Graecorum religio sensibus ac cogitationibus.

Nam hilaris Graecorum pulchri venustique sensus eas fabulas, quas apud

Homerum invenimns de diis, protulerat omnemque artem liberalem omnesque popularis religionis vitae et publicae et privatae formas, quarum elegantiam ac venustatem admiramur, quasque vim quandam divinam ac naturam exhibere fatemur. Contra gravis tristitia ac severitas Orientis est, quae etiam primi Graecae antiquitatis aevi fuit omniumque populorum, quorum animi minus exculti aut confirmati nec spe meliore impleti sunt. Si quae igitur fabulae moestioris ingenii lugubrisque indolis apud Graecos inveniuntur, eae Orientis ingenium referunt, inde enatae et ad Graecos translatae ab iisque suo ingenio deorumque rationibus plus minusve accommodatae sunt: id quod ex eo quoque intelligitur, quod eae fabulae naturae vicissitudines, quibus homines rudiores maxime serviunt, plerumque significant et humani animi servitium deplorant. Antiquissimum exemplum Lini apud Hesiodum:

Οὐρανίη δ᾽ ἄῤ ἔτικτε Λίνον πολυήρατον υἱόν,
ὃν δή, ὅσοι βροτοί εἰσιν ἀοιδοὶ καὶ κιθαρισταί,
πάντες μὲν θρηνοῦσιν ἐν εἰλαπίναις τε χοροῖς τε,
ἀρχόμενοι δὲ Λίνον καὶ λήγοντες καλέουσιν.

Cf. Eustath. ad Hom. I l. p. 1163. Ambrosch. De Lino p. l. Fuit Linus daemon Thracius et a Thracibus Asiaticis cultus, quem fuisse finxerunt adolescentulum, Orphei fratrem, matura morte occisum. Consimilis fabula et Borimi, Mariandyni, Hylae, Lytiersae, Marsyae, Narcissi, qui adolescentes pulcherrimi omnes hostili vi in primo aetatis flore exstinguuntur vulgo inter venandum, ita ut Clemens Al. reperta Graecas fabulas irridendi occasione *μυστήρια* a *μυθήρια* facete ducat, *θηρεύουσι γὰρ*, inquiens, *εἰ καὶ ἄλλοι τινές, ἀτὰρ δὴ καὶ οἱ μῦθοι οἱ τοιοίδε Θρᾳκῶν τοὺς βαρβαρικωτάτους, Φρυγῶν τοὺς ἀνοητάτους, Ἑλλήνων τοὺς δεισιδαίμονας.* Protrept. p. 12. Quod horum numinum forma, cultus atque veneratio similis, quippe quae omnino lugubrem quandam praebeant speciem, sicuti similes ritus in Borimo, Mariandyno, Lytierse, Hyla colendis, satis declarant: namque in iis prope omnibus et exclamationes et cantus flebiles deprehendimus, quibus deploratur hominum naturae sors imperio saevae necessitatis pariter succumbentis, cui ne deus quidem obsistere queat, sed sicuti homo et genus humanum, ita succumbat ipse. Ambrosch. l. l. p. 30. Pertinet ad id genus Maneros Aegyptius, quem primi regis Aegyptii unicum fuisse filium Aegyptii narravere, qui, quum morte immatura occubuisset, lugubribus cantionibus honoratus est; pertinet huc Cinyras Cyprius Syriusve; pertinent huc Adonis et Attis: qui cum Veneris Asiaticae, quae eadem est Semiramis, Dido, Astarte, religionibus conjuncti sunt. Et Adonidis quidem fabula et sacra omnium maxime Graeco sunt habitu ingenioque fucata et ornata, ita ut tristitia mitigaretur spe meliore; namque reviviscit Adonis omnemque terram implet gaudio, ita ut altera sacrorum pars hilarissima fuerit. Praeterea Cicero N. D. III. 14. 4.: *quarta* (Venus) *Syria Tyroque concepta, quam Astarten vocant, quamque Adonidi nupsisse proditum est.* Ad quas Adonidis nuptias prope altera sacrorum pars spectabat omnis, eaeque sacrae nuptiae etiam arcanis ceremoniis celebrabantur, non solum quod arcani homo est natura appetens, sed quod *ἱερὸς λόγος* omnibus illis sacris nuptiis suberat ab naturae vicissitudinibus ductus et ad humani animi deorumque consortium translatus, rudibusque

et tantum non obscoenis ad nostrum quidem sensum, non autem ad rudium hominum, ejus auctorum, sententiam, signis et symbolis (phallus, κτεὶς γυναικεῖος) significatus: quapropter Tertullianus l. l.: *illa Eleusinia haeresis quod tacet, pudor est* cet. Postremo per Graecos factum est, ut illae fabulae Asiaticae quasi drama fierent. Ambrosch. l. l. p. 39.: *Etenim, ut paucis rem adumbrem, sicuti geminae atque sincerae Graecorum fabellae plerumque quodammodo dramata absolvunt: ita in hoc de Adonide mytho praeter Venerem Jupiter, Proserpina, Pluto in scenam prodeunt; moritur Adonis; luctuosa Venus ad inferos descendit; fit certatio inter Deos, donec Jupiter, deorum hominumque summus arbiter, litem dirimit. Nonne hujuscemodi praesentatas imagines Orientem resipere putas? Ad haec in eadem fabula et κατάβασις Adonidis ad inferos et ἀνάβασις ad superos reperitur, quippe hac laeta ejus festa sunt nisa. Cujus modi si satis perpenderis momenta, vix crediderim fore ut hic Adonidis mythus ad Cerealium mythorum analogiam — accessisse videatur* — —. Pari modo etiam Osiridis et Dionysi fabulae in dramatis formam conversae sunt, quos constat dilaceratos deploratosque vere fuisse deos. Et concedendum est tempora fuisse, quibus illa mortui deploratique dei imago, licet cultus ejusdem in variis gentibus varias induisset formas, ab Helicone per Thessaliam, totamque Graeciam fuerit translata auctoribus, ut fabulae ferunt, Orpheo et Melampode, quibus etiam conjunctio quaedam, combinatio et commixtio Dionysi mystici, i. e. Zagrei, et Proserpinae sacrorum, qualem Eleusinia exhibent, adtribuitur.

Erat hoc drama quidem quasi mortuorum veneratio, s. inferiarum modus, quod alio loco uberius a nobis expositum est: Seebod. Arch. II. I. p. 240. Hic unum tantum locum adjungo: Plut. Thes. 26: ὁ γὰρ ἐπὶ Μελικέρτῃ τεθεὶς αὐτόθι ἀγὼν νυκτὸς ἐδρᾶτο τελετῆς ἔχων μᾶλλον ἢ θέας καὶ πανηγυρισμοῦ τάξιν cet. Mortui ii autem erant dii aut daemones, quorum mortis fructus ad eos redundabat, qui se iis addixerant in mysteriis et epoptias beneficio dignos praestiterant. Pertinebat ea epoptia maxime ad dramatis illius actionem, de qua plura, quia eo mysteriorum summa continebatur, addenda sunt. Primum ii, qui de mysteriis loquuntur, laudant τὰ δεικνύμενα, τὰ λεγόμενα et τὰ δρώμενα, atque Clem. Alex. Protrept. p. 4: Δηὼ καὶ Κόρη δρᾶμα ἤδη ἐγενέσθην μυστικὸν καὶ τὴν πλάνην καὶ τὴν ἁρπαγὴν καὶ τὸ πένθος αὐταῖν Ἔλευσις δᾳδουχεῖ. Deinde de cantu, saltatione, apparatu scenico dicendum. Et de cantu quidem inter hoc drama dicenti Eleusiniorum Eumolpidarum mentio facienda est; nam Eumolpidarum ipso vocabulo quod volumus non minus demonstratur, quam Hierophantarum nomine spectaculi ostentatio et exhibitio indicatur. Eumolpida duce et auctore res peragebatur omnis, ut quasi praecentor et protagonistes fuisse videatur. Corp. Inscr. Gr. N. 401:

Ὃς τελετὰς ἀνέφηνε καὶ ὄργια πάννυχα μύσταις
Εὐμόλπου προχέων ἱμερόεσσαν ὄπα.

De saltatione tibiarumque accentu et alias locutus sum et operae vix pretium est quidquam addere. Nam non minus vetiti sunt ἐξορχεῖσθαι τὰ ἀπόῤῥητα quam ἐξειπεῖν Lucian. Saltat. 15. Malo igitur hierophantarum scenicum habitum apparatumque testimoniis confirmare. Et maxime quidem ad hanc rem dramaticam de-

monstrandam et illustrandam hi loci sunt apti. Plutarch. Alcib. 22: *Θεσσαλὸς Κίμωνος — Ἀλκιβιάδην εἰσήγγειλεν ἀδικεῖν περὶ τω θεώ, ἀπομιμούμενον τὰ μυστήρια καὶ δεικνύοντα τοῖς αὐτοῦ ἑταίροις, ἔχοντα στολὴν οἵανπερ ἱεροφάντης ἔχων δεικνύει τὰ ἱερά, καὶ ὀνομάζοντα αὐτὸν μὲν ἱεροφάντην, Πολυτίωνα δὲ δᾳδοῦχον, κήρυκα δὲ Θεόδωρον.* Ejusdem facti Lysias arguit Andocidem, *ὅτι ἐνδὺς στολὴν* (i. e. *τὴν ἱερὰν στολήν*) *μιμούμενος τὰ ἱερὰ ἐπεδείκνυε τοῖς ἀμυήτοις καὶ εἶπε τῇ φωνῇ τὰ ἀπόῤῥητα* (p. 107). Etiam Aeschylus, dramatis Graeci conditor, aliquid apparatus scenici e mysteriis surripuisse fertur; sed majus est quod idem pariter atque Andocides adeo vocibus mysticis in theatro publico usus esse fertur. Iis enim testimoniis uti possumus ad demonstrandum non sine oratione peractum esse illud drama mysticum, de cujus majestate etiam Aristides in Eleus. p. 256. T. I. sic loquitur, ut et *τὰ δεικνύμενα* et *τὰ λεγόμενα* cognosci liceat: *κοινόν τε γῆς τέμενος ἡ Ἐλευσὶς καὶ πάντων, ὅσα θεῖα ἀνθρώποις, ταὐτὸ φρικωδέστατον καὶ φαιδρότατον· τίνι δ' ἄλλῳ χωρίων ἢ μύθων φῆμαι θαυμαστότεραι ἐφυμνήθησαν ἢ τὰ δρώμενα μείζω τὴν ἔκπληξιν ἔσχεν ἢ μᾶλλον εἰς ἐφάμιλλον κατέστη ταῖς ἀκοαῖς τὰ ὁρώμενα, ὅσα μὲν δὴ θέας ἐχόμενα εἶδον γενεαὶ παμπλήθεις εὐδαιμόνων ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν ἐν τοῖς ἀῤῥήτοις φάσμασιν.* Hierophanta ipse *λέγει τοῖς ἀμυήτοις* seu *διηγεῖται τα μυστήρια.* Diogen. La. II, 101. Pari functus est officio Samothracius Hierophanta: *πρόσεχε τοίνυν μοι τὸν νοῦν μᾶλλον ἢ εἴποτε μυούμενος Ἐλευσίνια καὶ Σαμοθρᾴκια καὶ ἄλλην τινὰ τελετὴν ἁγίαν ὅλος ἦσθα πρὸς τοῖς δρωμένοις τε καὶ λεγομένοις ὑπὸ τῶν ἱεροφαντῶν* sq. Galenus de Usu Part. L. VII. c. 14. Et Lobeckius ipse *canticis,* inquit, *argumentosis, ut credi par est, gravibusque, et ipsius Hierophantae oratione et opertorum magnificae religionis adspectu homines deorum colentes graviter commotos et ab omni alia cogitatione ad summi numinis venerationem traductos esse sane quam consentaneum est:* l. l. p. 63.

Praeterea res scenica quae ad deorum cultum pertinebat, sicut deorum veneratio, sermone et oratione carere non potuit. Nam quum primum, ut ait Tranquillus apud Isidorum VII. 7., homines exuta feritate rationem vitae habere coepissent, seque ac deos suos nosse, cultum modicum et sermonem necessarium commenti sibi, utriusque magnificentiam ad religionem deorum suorum excogitaverunt. Igitur ut templa illis domibus pulchriora faciebant, ita eloquio etiam quasi augustiore honorandos putaverunt laudesque eorum et verbis illustrioribus et jucundioribus numeris extulerunt. — Et profecto tota Asia demonstrat et Deos ipsos et sacerdotes augustiore sermone usos esse, siquidem in dramatibus epicisque ac lyricis carminibus Indorum id ita factum est, ut hoc apud ceteros quoque Orientis populos e more factum esse ex vestigiis atque reliquiis certissime colligi liceat. Quales ad reliquias etiam dialectum deorum, quae vocatur, apud Homerum referendam esse mihi persuasi. *) Atque cum apud Graecos omnis veneratio mystica, de qua loquimur, in

*) Quae veteribus naturae numinis et ingenio aptiora vocabula et quae significantiora symbolisque naturae magis concinentia visa sint et cur ea ita visa sint, id nostris sensibus percipi non potest. Ceterum cf. de Indis *Lasseni* scripta et *Bohleni;* praeterea *Rosenkranz,* Handb. d. allgem. Gesch. d. Poesie I, p. 48. Plura de ea re dixi in libro A. W. Alterthumskunde P. II.

reliquiis priscae religionis Asiaticae referenda sit, ut supra demonstravimus, in ea huic sermoni augustiori locum fuisse facile apparet. Idem iis ostenditur, quae de sermone Orphico traduntur mysticisque vocabulis atque sancto eloquio. Ipsa deorum daemonumque mysticorum nomina id demonstrant: ut Κάβειροι, Ἀξιόκερσος et Ἀξιόκερσα, Ζαγρεύς cett. Cf. illud ἐπίφθεγμα Εὐοῖ Σαβοῖ, Ὕης Ἄττης, Ἄττης Ὕης. Et Dio Chrysost. X. 303. T. t. ἢ τὴν αὐτὴν εἶναι διάλεκτον ἀνθρώπων καὶ θεῶν νομίζεις; ἀλλὰ τοσοῦτον διαφέρει, ὥστε τὸν ποταμὸν τὸν ἐν Τροίᾳ Ξάνθον παρ' ἐκείνοις καλεῖσθαι καὶ τὴν χαλκίδα κύμινδιν — ὅθεν καὶ ἀσαφῆ τὰ τῶν χρησμῶν ἐστι καὶ πολλοὺς ἤδη ἐξηπάτηκεν. Et Clem. Al. Strom. I. 404. ὁ Πλάτων καὶ τοῖς θεοῖς διάλεκτον ἀπονέμει τινα (Cratyl. 391. D.) — μάλιστα μὲν ἀπὸ τῶν ὀνειράτων τεκμαιρόμενος καὶ τῶν χρησμῶν: de quo loco Lobeck. l. l. II. 854. Haec quidem est Clementis conjectura a Platonis sensu abhorrens, sed apta ad id quod probare volebam, veteres linguam divinam humana significantiorem et a naturae proprietate propiorem putasse: p. 871. Sicut in omni deorum colendorum ratione et opere ad antiquitatis praejudicium tanquam ad normam sese direxere veteres, ita etiam nomenclatura sacrificalis, qualis ab initio fuit, diutissime servata est. Verba prisca, *quibus Salii canunt et Augures avem consulunt* (Symmachi verba sunt L. III. Ep. 44), passim exponunt glossographi; vocabula vasorum et ferculorum sacrorum, *illa pontificalia mysteria*, magna industria collegit Arnobius L. VII. Et sane vix dici potest quam late patuerit apud veteres hic augustioris sermonis usus in sacris, quem etiam Pythagoreos adoptasse constat. Neque infitior posteriores ad normam quandam talem sermonem finxisse, sed in mysteriis contendo eum προγενέστερον fuisse: sicuti Scholiasta Homeri adeo divina apud Homerum nomina dicit esse τὰ προγενέστερα, et Maximus Tyrius V. 86. αὕτη θνητῆς πρὸς θείαν ἀρετὴν ὁμοιότης, ἡ παρὰ μὲν θεοῖς καλεῖται Θέμις καὶ Δίκη καὶ ἄλλ' ἄττα μυστικὰ καὶ θεοπρεπῆ ὀνόματα, παρὰ δὲ ἀνθρώποις φιλία καὶ χάρις.

Hac igitur divina oratione qui divini numinis partes agebat Hierophanta in dramate mystico usus est, sacerdotali vel sacrificali autem sermone ceteri ministri mystici, etiam praeco qui saepe commemoratur; idque factum est pari similive modo atque in Indicis poëmatis epicis et dramaticis id factum esse videmus: nam Asiaticarum religionum et ceremoniarum seu imitatio seu potius parvulae reliquiae fuerunt apud Graecos veteres religiones et ceremoniae mysticae. Quamquam hoc non ita intelligi volo, quasi continuo perfectoque diverbio usi esse videantur sacerdotes, cum magis vocabulis singulis, exclamationibus significationibusque mimicis rem peractam esse consentaneum sit, magisque eloquio quam colloquio augustiore.

III. De institutione et doctrina mysteriorum.

Exponendum praeterea est, quod fuerit dramatis ejus argumentum quaeque persuasio animive affectio ejus dramatis actione comparata et effecta sit. In Samothraciis seu Cabiriacis mysteriis hoc argumentum fuit, ut brevi absolvam, Cabirus unus a fratribus interemtus, in Orphicis Dionysus ab inimicis discerptus. Quibus de argumentis mysticis infra accuratius disserendum est: nam res est perobscura. Eleusiniorum autem argumentum uberius exponit Clem. Al. Coh. p. 17. ἀλωμένη

Δηὼ κατὰ ζήτησιν τῆς Κόρης περὶ τὴν Ἐλευσῖνα ἀποκάμνει καὶ φρέατι ἐπικαθίζει λυπουμένη. — — Καὶ δὴ ξενίσασα ἡ Βαυβὼ τὴν Δηὼ ὀρέγει κυκεῶνα αὐτῇ· τῆς δὲ ἀναινομένης λαβεῖν, πενθήρης γὰρ ἦν, περιαλγὴς γενομένη ἡ Βαυβώ, ὡς ὑπερορααθεῖσα δῆθεν, ἀναστέλλεται τὰ αἰδοῖα καὶ ἐπιδεικνύει τῇ θεῷ· ἡ δὲ τέρπεται τῇ ὄψει καὶ δέχεται τὸ ποτὸν — —. Pergit Clem.: ταῦτ' ἐστι τὰ κρύφια τῶν Ἀθηναίων μυστήρια, ταῦτά τοι καὶ Ὀρφεὺς ἀναγράφει. At hoc argumentum utrum dramatis ipsius fuerit an ceremoniarum illarum omnium, et utrum totam actionem expleverit an aliis factis dictisve adnexum fuerit, ambigi potest. Clemens enim deteriora modo commemorat omissis ceteris; et Zagrei res per Orpheum certo videntur ei argumento admixtae fuisse; sicuti ἡ κατάβασις et ἀνάβασις, quam supra commemoravimus, mysticae actionis fuit procul dubio (κάθοδος καὶ ἄνοδος), et inter carmina Orphica Εἰς ᾅδου κατάβασις: Lob. I. 355; nisi forte quis rectius eam actionis totius summam fuisse statuit: nam hoc et veteres uno ore consentiunt et ipse id alio loco Clemens indicat. Etiam inferorum res rationesque, quas propositas esse omnes perhibent, cum hoc numinis descensu ad inferos facillime conjungi poterant. De institutione autem scenica, qua haec mystarum oculis proposita sint, hic non quaeritur; addi autem debet, ex theatro profano multa suum in usum sacerdotes convertisse vel ex eo apparere, quod Athenaens I. 21. E. narrat: Αἰσχύλος ἐξεῦρε τὴν τῆς στολῆς εὐπρέπειαν, ἣν ζηλώσαντες οἱ ἱεροφάνται καὶ δᾳδοῦχοι ἀμφιέννυνται. Et fuit templum Eleusinium splendidissimum Ictini opus, cujus σηκόν, ὄχλον θεάτρου δέξασθαι δυνάμενον (Strabo IX. p. 272) seu cellam describit Vitruv. 7. prooem. p. 125. Elzev. Cf. Sancruc. edit. Lenz. p. 97. sqq.

Transeamus ad eam quam doctrinam mysticam vocant exponendam. Et hic primum Aristoteles commemorandus: Ἀριστοτέλης ἀξιοῖ τοὺς τετελεσμένους οὐ μαθεῖν τι δεῖν, ἀλλὰ παθεῖν καὶ διατεθῆναι γενομένους δηλονότι ἐπιτηδείους. Synes. Oratt. p. 48. Patav. Deinde Macrob. Sat. I, 18, 236. Occultas et manantes ex veri fonte rationes, inquit, in ipsis quidem sacris enarrari permittitur, sed si quis illas assequitur, continere intra conscientiam tectas jubetur. Similiter Galenus dogmata illa appellat ἀμυδρά. *) Aliter sentire putatur Clem. Strom. v. 689. οὐκ ἀπεικότως καὶ τῶν μυστηρίων τῶν παρ' Ἕλλησιν ἄρχει μὲν τὰ καθάρσια καθάπερ καὶ ἐν τοῖς βαρβάροις τὸ λουτρόν· μετὰ ταῦτα δ' ἐστὶ τὰ μικρὰ μυστήρια διδασκαλίας ὑπόθεσιν ἔχοντα καὶ προπαρασκευῆς τῶν μελλόντων· τὰ δὲ μεγάλα περὶ τῶν συμπάντων οὐ μανθάνειν ἔτι ὑπολείπεται, ἐποπτεύειν δὲ καὶ περινοεῖν τήν τε φύσιν καὶ τὰ πράγματα: quae ita interpretor, in minusculis mysteriis fundamenta dramatici argumenti esse jacta; majuscula autem nihil jam ad universi argumenti cognitionem mente capiendam reliquum fecisse, sed ipsam contemplationem et adspectum attulisse et addidisse. Quod si quis ex his institutionis mysticae gradus quosdam cognosci contendit, hoc ita vere contendit, si quae oculis spectantur clareque audiuntur iis praestare existumat, quae tantum ritibus et ceremoniis perficiantur. Omnino autem duas aut tres partes eorum sacrorum, initiationem post καθαρμοὺς cet. quasi τὰ μικρὰ μυστήρια, μύησιν, quacum conjuncta

---

*) Plutarch de Iside c. 68. δεῖ πρὸς ταῦτα λόγον ἐκ φιλοσοφίας μυσταγωγὸν ἀναλαβόντας ὁσίως διανοεῖσθαι τῶν λεγομένων καὶ δρωμένων ἕκαστον.

fuit ἡ μυστικὴ παράδοσις, ἡ τῆς τελετῆς παράδοσις (Theo Smyrn. Mathem. p. 18.,) et epoptiam veteres distinguunt in Eleusiniis et Samothraciis mysteriis. Possunt autem etiam epoptiae quasi gradus distingui, si iis dramatis mystici partes seu actus dici vis. Gregor. Or. XXXIV. 625. D. οὐδὲ Κόρη τις ἡμῖν ἁρπάζεται καὶ Δημήτηρ πλανᾶται καὶ Κελεούς τινας ἐπεισάγει καὶ Τριπτολέμους καὶ δράκοντας, καὶ τὰ μὲν ποιεῖ τὰ δὲ πάσχει· αἰσχύνομαι γὰρ ἡμέρᾳ δοῦναι τὴν νυκτὸς τελετήν — οἶδεν Ἐλευσὶς ταῦτα καὶ οἱ τῶν σιωπωμένων ἐπόπται. Quae is significet dramatis membra, non est obscurum; ea autem Nonnus Expos. in Invect. 1. c. 74. p. 518 ita interpretatur, ut sensus fuerit Cereris vim et facultatem iis, a quibus expetatur, in promtu esse eamque paratam ad sese ipsis dandam eosque explendos. Quid multa? uti ex fabulis omnino, sic etiam ex mysticis fabulis suum sibi quisque, i. e. sibi suisque persuasionibus aptum sensum elicere voluit potuitque; dramatis autem mystici sensum et ad rerum naturalium vicissitudines et ad animi humani sortem spectavisse supra expositum est; quae sors per se quidem deploranda visa est, sed deorum mysticorum consortio quodam felix beataque praedicanda. Pertinebat horum deorum tutela maxime ad mortuos: quorum sors contraria eorum, qui non initiati erant, sorti putabatur. Plato enim in Phaedon. p. 63. E. κινδυνεύουσι καὶ οἱ τὰς τελετὰς ἡμῖν καταστήσαντες οὐ φαῦλοί τινες εἶναι, ἀλλὰ τῷ ὄντι πάλαι αἰνίττεσθαι ὅτι ὃς ἂν ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος εἰς ᾅδου ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται, ὁ δὲ κεκαθαρμένος τε καὶ τετελεσμένος ἐκεῖσε ἀφικόμενος μετὰ θεῶν οἰκήσει. Iidem mysteriorum antistites, ut addit Lobeckius post allata alia ejusdem rei testimonia II. p. 809., docebant noxios adhibitis quibusdam sacrificiis occultioribus metu poenae exsolvi et cum diis superis inferisque in gratiam restitui posse: αἱ τελεταὶ αὖ μέγα δύνανται καὶ οἱ λύσιοι θεοὶ, ὡς αἱ μέγισται πόλεις λέγουσι, καὶ οἱ θεῶν παῖδες καὶ προφῆται τῶν θεῶν γενόμενοι. Plat. Rep. 11. 366. A. Addendum fuit etiam precibus, quibus maxime locus fuit in mysteriis, has λύσεις ἀδικημάτων impetrari posse creditum esse. Quod si idem *gloriosa initiatorum privilegia* pariter atque προεδρίας in Orco et convictus Deorum, de quibus multa leguntur, irridet, quum omnes intentiores religiones veraeque dei venerationis rationes eam vim habeant ut cultores peccatis exsolvant deique in gratiam restituant, injuste facere videtur. Et summo animos mystarum horrore percussos esse dramatica illa actione praeter alios testis est Aristides in Or. Sacr. IV. 232. ἦν οἷον τελετῇ τινι προςεοικὸς τὸ πρᾶγμα οὕτω θείων τε καὶ παραδόξων τῶν δρωμένων ὄντων, neque potest infitias ire Lobeckius mysteria prae ceteris magnifice adornata eoque apparatu instructa fuisse, ut praesentium animos tum varietate tum splendore rerum tenerent, maxime ubi sacerdotes varia praestigiarum genera, quibus homines simpliciores obstupefacerent, adhibuerint, uti in magicis mysteriis, quibus multo magis illa sepulcrorum terriculamenta, nocturni canes et cetera phantasmata cum machinato tonitruum fragore convenire putat: quamquam etiam de Bacchicis testimonium affert Celsus, qui, ut Origines refert L. IV. 10, 507., Christianos impiorum apud inferos supplicia enarrantes ἐξ ὁμοίου τοῖς ἐν ταῖς Βακχικαῖς τελεταῖς τὰ φάσματα καὶ τὰ δείματα προειςάγουσιν. Ejusmodi autem spectacula hominum oculis objecta esse speciesque coelestes et Orci simulacra alternis lucis ac tenebrarum vicibus variasse

scenam etiam in Eleusiniis propter testes idoneos negare non licet. Consilium autem eorum artificiorum scenicorum fuit, ut spectatorum animi quasi ex tenebris in lucem procederent diisque totos se dederent, quorum in potestate se esse sentirent. Perpeti quasi debebant mystae ipsorum deorum mysticorum sortem ad Orphei, mysteriorum eorum conditoris, exemplum. Proculus in Polit. p. 398: Ὀρφεὺς ἅτε τῶν Διονύσου τελετῶν ἡγεμὼν γενόμενος τὰ ὅμοια παθεῖν λέγεται τῷ σφετέρῳ θεῷ. Quo sancto officio perfuncti demum in deorum consortium admissi et immortalitatis praemio affecti sunt. *) Sic dii illi σωτῆρες per Orpheum facti: Pausan. III. 13: Λακεδαιμονίοις ἐστὶ ναὸς Κόρης Σωτείρας, ποιῆσαι δὲ τὸν Θρᾷκα Ὀρφέα λέγουσι cll. adnotationibus V. D. Postremum mystae sibi gratulati sunt laetissime de servato deo et de recuperata quasi per eum salute propria.

Hoc summum est. Nam quae alii ex mysteriis colligi aut cognosci potuisse dicunt, nitentes Ciceronis testimoniis D. N. D. 1. 42 *(quibus explicatis ad rationemque revocatis rerum magis naturam cognosci quam deorum)* et Tusc. 1. 13. *(quaere, quorum demonstrentur sepulcra in Graecia; reminiscere, quoniam es initiatus, quae traduntur in mysteriis; denique intelliges quam late hoc pateat)*, cet., haec non sunt Hierophantarum effata, sed hominum potius acutulorum interpretamenta, quale est Varronis ap. August. Civit. VII. 28. aliorumque, minimeque pertinent ad rem ipsam. At illud certum est, *catechumenos* de solemnium causis et rationibus, de precandi votaque faciendi modo, etiam de ordine serieque sacrorum et quid in quoque momento quidve omnium potissimum observandum esset ad deorum mysticorum gratiam ineundam, salutem pacemque inveniundam, partim a mystagogis, partim ab Hierophantis ceterisque sacrorum administris edoctos esse. Hoc enim tum re ipsa, tum testimoniis multorum claris atque apertis, tum tacito omnium consensu confirmatur et a Lobeckio conceditur p. 193.

Hoc igitur drama mysticum si quis tragoediam appellaverit, non longe a vero aberraverit. Fuit enim, ut vidimus, et tragici argumenti et tragici consilii et tragicae originis (τὰ πάθη τῶν θεῶν δεικνύουσι μυστήρια: Athenag. Legat. c. 32. p. 32.): id quod concesseris si vel Aristotele usus fueris teste. **) Quem constat dixisse τὰ Βακχικὰ παθήματα tragoediarum argumentum antiquitus fuisse, tragicaeque poësis vim in eo constitisse, ut spectatores terrore et misericordia complerentur ad eorum affectuum purgandam rationem (ad κάθαρσιν). Idem de tragicae omnisve dramaticae poësis origine illa scripsit: Igitur quum initio ex tempore et haec tragoedia funderetur et comoedia, altera ab iis qui dithyrambum edebant, altera ab iis, qui phallica, sensim crevere poëtis prima earum vestigia amplius excolentibus. Bentlejus: Olim, inquit, carminibus de Baccho scriptis certabant, quae et Satyrica diceban-

---

*) Dubito an huc pertineant haec: Ἀκήκοα ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν σοφῶν περὶ τὰ θεῖα πράγματα ἱερέων τε καὶ ἱερειῶν, ὅσοις μεμέληκε περὶ ὧν μεταχειρίζονται λόγον οἵοις τ᾿ εἶναι διδόναι — τὴν ψυχὴν τότε μὲν τελευτᾶν τότε δὲ πάλιν γίγνεσθαι: Plat. Men. 81. l.

**) Nicephorus Gregorius Hist. X. c. 1. 289. D. Orphei tragoedias luctuosissimas commemorans vix aliud quidquam significare potest.

tur. Postea vero, aggressi ad tragoedias scribendas, paulatim ad fabulas et historias se converterunt nulla amplius Bacchi mentione facta, ut acclamatum sit *nihil ad Bacchum*. Athenaeus quoque Ithyphallos et Phallophoros primum dramaticam artem movisse significat, et Herodotus choros tragicos commemorans: Sicyonii, inquit, Adrasto honores tum alios habebant tum casus ejus tragicis choris celebrabant, non Bacchum honorantes sed Adrastum, Clisthenes vero choros Baccho restituit. Et vero simplicissimum et simillimum veri est ante Arionis aetatem, qui fertur tragicum modum invenisse itaque nominasse id quod a choro caneretur, et satyros induxisse versibus loquentes, dithyrambos primum sicuti alios cantus Bacchicos in ipsa pompa et a procedentibus ad templa et altaria nec minus in templis ipsis et inter sacras actiones cantatos fuisse. Quos cantus si tragoediam lyricam vel Doricam vocas, non impedio, dummodo consentias ad vetustas Graeciae religiones mysticas, quae et lugubris et dramaticae naturae fuerint, tragicae poësis originem referendam esse et artem scenicam intimo vinculo cum illo deorum mysticorum cultu conjunctam fuisse, quod etiam veteres illis testimoniis, quae affert Lobeck. I. 688. sqq., testati sunt; inde enim sequitur artem dramaticam, tragicam pariter atque comicam, (Aristotelem secutus Proculus in Polit. p. 360. et 362. comoediam et tragoediam ad ἀφοσίωσιν τῶν παθῶν refert) olim ad deos, τῶν παθῶν eorum spectaculis placandos salutemque animi impetrandam fuisse inventam et adhibitam, uti id apud Romanos etiam spectaculis publicis factum esse constat, inter quae ludi gladiatorii antiquitus nihil nisi inferiae fuerunt. Et priscos quoque Italos coluisse Bacchum et Cererem praetereaque diis inferis penitus deditos fuisse scriptores antiqui uno ore tradunt. Sed quamquam etiam apud Romanos artis dramaticae primordia quaedam in hac deorum veneratione continebantur, tamen causae externae praeter populi ingenium impediverunt, quominus ad artem progrederentur.*) Apud Graecos autem, qui heroes et deos ipsos nonnullos et reluctantes contra vim supremam et intereuntes et interitu invictam libertatem cum reconciliatione assecutos antiquitus cognoverant, haec ars, qua animo firmo et boni et fortes domum redibant spectatores diisque reconciliati ad vitae negotia dimittebantur, non potuit non summam perfectionis fastigium assequi.

IV. De causis institutionis mysticae.

Reliquum est ut eo redeamus unde profecti sumus omniaque, quae de religione Graecorum Romanorumque veterum mystica tradi intelleximus, ad rationem vocemus. Apparuit enim in hac veneratione et animi humani et rerum naturalium sortem vicissitudinesque imitatione quadam propositas esse, et id eo quidem consilio, ut animi humani luctu suo elevarentur eo quod diis se dederent penitus. Hoc au-

---

*) Cic. D. N. D. II. 24: *Hunc dico Liberum Semele natum, non eum quem nostri majores auguste sancteque Liberum cum Cerere et Libera consecraverunt, quod quale sit ex mysteriis intelligi potest.* Idem Pro Balbo, 24. 55. *Sacra Cereris, judices, summa majores nostri religione confici ceremoniaque voluerunt: quae cum essent assumta de Graecia, et per Graecos semper curata sunt sacerdotes et Graeca omnia nominata.* Etiam Bonae Deae cultum huc pertinuisse testis est Plutarchus

